

teger. Extiterunt quoque ab aliquot seculis Biblia in patrium sermonem conversa, quorum a lectione laicos, ante emendationem religionis per Lutherum, prohibitos fuisse non legimus. In monasteriis, & Academiis evoluta sunt nonnunquam *Hieronymi*, *Augustini*, aliorumque scripta, quibus verbum Dei recte, copioseque proponitur, & quibus sese ad cognoscendam veritatem perductum esse *Lutherus* ipse fatetur in *Epist. ad Langum* Ao. 1516. ap. *Aurifabrum* T. I. p. 35. Superfuit igitur *in Papatu*, & ante Lutherum, Dei verbum: superfuit dispensatio Sacramentorum, quorum beneficio ut colligitur, & conservatur Ecclesia; ita t. t. quandam quoque in occidente, & apud Latinos, Ecclesiam fuisse recte concludimus.

§. XXVII. Interim a veritate ad omnimodam munditiam, & puritatem, non est concludendum. Vinum aqua dilutum verum quidem vinum est, sed non merum: acervus tritici, cui paleæ sunt admistæ, verum quidem est triticum, sed non purum. Ita etiam Ecclesia Romana, ante Lutheri tempora, vera fuit Ecclesia, sed non pura. Vera fuit in oppositione ad *nullam*, non in oppositione ad *orthodoxam*. Propositum est Dei verbum, sed parce, sed admistis cavillationibus, fabulis, humanique ingenii commentis. Proposita est doctrina de Deo & Christo, de peccato & Sacramentis, sed admista fuerunt capita de adoratione Mariæ, de mediatoribus Sanctis, de meritis operum bonorum, de Purgatorio, de indulgentiis, de sacrificio Missæ, de chrismate, de suprema potestate Papæ, & alia id genus sexcenta, quibus Dei verbum, velut paleis triticum, aut scoriis aurum, corruptum est ac infectum. Uti proinde in V. T. & maxime circa tempora missi in mundum Servatoris, Iudæi habuerunt Mosen & Prophetas, quos debebant, & poterant audire *Luc. XVI, 24.*